(12.)

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
HYDROCEPHALO ACUTO:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI:

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES MURPHY,

HIBERNUS.

———— Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.—Hor.

Quarto Nonas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

REVERENDO ADMODUM VIRO

ALEXANDRO CAMERON, D. D.

EPISCOPO MAXIMINIA POLITANO,

VICARIO APOSTOLICO IN SCOTIA.

OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUAE HOMINEM ET EPISCOPUM

ORNARE POSSUNT,

INSIGNI,

HOC TESTIMONIUM

REVERENTIAE ET PIETATIS,

CONSECRARE

VULT

AUCTOR

FRATRI CARISSIMO

REV. JOSEPHO MURPHY, O.S.F.

OB INNUMERA BENEFICIA

STUDIO TANTUM NON PATERNO IN SE COLLATA,

HOCCE PEREXIGUUM AMORIS ET ANIMI

HAUD INGRATI MONUMENTUM

INSCRIPTUM ESSE VOLUIT

J. M

REVEREND0

GULIELMO REID,

HOCCE OPUSCULUM,

OBSERVANTIAE ET AMICITIAE

PIGNUS,

D. D. D. Q.

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

AUCTORE JOHANNE MURPHY.

Dum in animo versarer quomodo optimè pro viribus, Almae Academiae legibus obtemperarem; et ad quem morbum tractandum in hoc tentamine inaugurali memet accingerem; quamvis mihi bene persuasum fuit multos et etiam peritissimos ante me in hanc arenam descendisse et nihil aut saltem fere nihil novi in morbo tantum non semper insanabili tractando proferendum reliquisse, de hoc morbo scribere decrevi: non quod me aliquid ad ea quae de eo jamdudum cognita sunt conferre posse sperare ausus; sed ut

alios, quorum " praecordia meliore finxerit " Titan luto," animos ad hunc morbum fere semper lethalem debellandum, in quantum mihi fuit dirigere hortarer. Nec sane is solus bene mereri mihi videtur, qui aliquid novum aut praeclarum in commodum generis humani proferat; sed etiam ille, qui quid ex multis proferendum sit, monstret, et erroribus etiam forsan suis alios ad meliorem et certiorem viam ineundam dirigat.

MORBI DEFINITIO.

A Medico nunquam sat laudato, Clarissimo Cullen, hic morbus in Nosologia sua ut species Apoplexiae in ordine Comata, et classe, Neuroses, locum habet et ita definitur:

" Apoplexia (Hydrocephalica) paulatim " adoriens, infantes et impuberes primum " lassitudine, febricula et dolore capitis: " dein pulsu tardiore, pupillae dilatatione et " somnolentia afficiens."

MORBI HISTORIA.

A plerisque qui de hoc morbo tractaverunt, in stadia tria divisus est: ad quae distinguenda pulsûs in stadiis diversis variatione praecipuè diriguntur; verum ut nobis non semper nec etiam frequenter datur has pulsus mutationes bene percipere; nec fere unquam in manibus nostris est limites certos ponere ubi stadium unum desinit et alterum incipit, hunc ordinem (quamvis ut quandam utilitatem in se habeat non inficiar,) hîc missum faciam.

Duo verò certè sunt stadia, quae, ut methodum tractandi diversum requirentia, summo cum jure et distingui possunt et debent. Stadium nempe in quo signa inflammationis cerebri urgent, et stadium subsequens quo primum signa effusionis et compressionis intra cranium apparent, verum ut alterum in alterum gradatim transit, spero ex historiâ quam mox daturus sum satis facile ad omnes usus practicos ea distingui posse.

Ætates iniens et juvenilis huic morbo maxime opportunae inveniuntur et raro eos qui aetate provectiore sunt adoritur, casus tales tamen nonnunquam quamvis raro reperiuntur; mares quam puellas potius afficit.

Morbus nonnunquam sed insolentiùsetiam ab initio cum signis affectionis capitis gravis comitatur; usitatius vero insultum suum insidiose facit, nec ulla fortasse periculi instantis signa per aliquod tempus dat, aeger tenellus inappetentia et siti tentatur, de capite nonnihil queritur et alvum astrictam habet: Interea temporis morbus sibi castra metit et munit; tandem et naturam et artem aeque despiciens longe lateque vastat.

Dolor capitis nunc immanis et constans est, oculi lucem ferre recusant, rubor et pallor, faciem alternatim occupant, sonus omnis, vox etiam matris quondam dilectissimae et anxiae ingrata et intolerabilis fit, ardent caput et truncus dum frigus tantum non lethale extremitates occupat, arteriae carotides micant, pulsus frequens, durus et parvus est, respiratio difficilis et suspiriis profundis

interrupta; miser vigilat aut si unquam oculos fatigatos somno inclinet somniis terrificis agitatur et terrore et ejulatione expergiscit: anorexia nunc in nauseam, vomitumque immanem et fere continuum convertitur, dolor epigastrium infestat, alvus pertinaciter adstricta et ne quidem remediis fortissimis et quantitate duplici triplicive solito exhibitis aegre respondet, foeces cum reddantur nigrae foetidissimaeque sunt.

Cum haec signa per aliquod tempus duraverint pulsus gradatim tardior fit et infra statum naturalem aliquando cadit, nausea et vomitus perstant, obstipatio aeque remanét, frontem manu infelix fricat, et clamitatione frequente et miserâ dolorem intolerabilem esse demonstrat, caput supra pulvinar huc et illuc volvitur, oculorum pupillae dilitantur, memoria labefactat et non raro torpor generalis sensus omnes occupat, nunc iterum pulsus in frequentiâ augetur, vomitus cessat, aeger conqueri desinit, nec lux alma diei eum aliquo modo afficere potest, coecus est, dirae convulsiones totum cor-

pus quatiunt vel latus unum convellitur, dum alterum paralysi resolvitur cor palpitat respiratio deficit, sudor frigidus ex toto corpore manat et tandem paroxysmus convulsivus horribilis et vitae et miseriis una finem facit.

Quamvis haec sint signa praecipua et quae in majore casuum numero cernantur, multis tamen varietatibus obnoxia sunt, pulsus aliquando per totum morbi decursum naturalis est, convulsiones etiam quandoquidem ab initio apparent, nonunquam paucos ante mortem desinunt dies, et mors somno placido similis aegrum rapit. Quoad morbi durationem haec in casibus diversis multum variat, aliquando cursum suum intra paucos dies peragit, aliquando terminationem fatalem ad septimanas aliquot differt.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Difficillimum quidem est dicere quae sint causae quae ad hunc morbum praedis-

positionem dant. Familiae quaedam prae aliis ei obnoxiae videntur, nec mihi pro certo constat liberos parentum scrofula laborantium ei magis opportunos quam alios esse; quamvis nullomodo negare possum quod liberi horum (scrofula nempe imbutorum) hoc morbo saepe implicentur, é contra bene notum est eos, qui nulla scrofulae signa unquam prodierint et in quos ne quidem scrofulae suspicio cadere potuit, Hydrocephalo victimae ceciderunt. Ætas tenera in qua multo plus sanguinis capiti quam in ulla alia aetate naturaliter mittitur, quodammodo ei praedisponere videtur.

CAUSAE EXCITANTES.

Fere adeo obscurae sunt causae excitantes quam praedisponentes; obstipatio, vermes, dentitio, exercitatio nimia, frigus, incurvatio corporis frequens et injuriae capiti illatae inter has recensentur et certe non in me est negare quod cum iis Hydro-

cephalus nonnunquam non complicetur, et forsan aliquando ab iis excitetur, verum certe nobis non raro datur has causas agentes et etiam aegros ad plures rapientes, sine Hydrocephalum producendo, videre, et vice versa Hydrocephalum saevientem ubi nulla ex his ut causa excitans assignari potest.

CAUSA PROXIMA.

Inter medicos de causa hujus morbi proxima multum disputatum fuit, quibusdam placuit morbum ex torpore et inertia vasorum absorbentium (si quidem talia in cerebro, ubi adhuc nondum detecta sunt, existant) oriri. Haec ni fallor Doctoris Darwin opinio fuit, quamvis in alia operis sui eruditi parte, hanc inertiam ut effectum morbi forsitan censeri posse, dicit: aliis, morbum ex debilitate omnino pendere: mihi vero (si revera opinionem quandam de tali re proferre audeam,) speculatio eorum

qui, eum de* inflammatione cerebri vel tunicarum ejus niti, magis arridet, et sane non inutile ad rem videtur, ut fides huic speculationi detur, dicere, sectiones cadaverum huic opinioni multum favere.

DIAGNOSIS.

Versus morbi finem certe nullus est cum quo Hydrocephalus confundi potest, sub initium vero aliqui sunt qui eum satis referunt, inter hos febris remittens infantum, vermes, dentitio, et fortasse marasmus recensentur.

A febre infantum remittente praecipue dignoscitur remissione doloris capitis, vomitu, qui levationem dolori in febre remittente affert; alvus in hac febre satis soluta est aut remediis facile paret. Dejectiones sub-

* Ni memoria me fallit Professor noster Humanissimus Doctor Home idem et sentit et docet.

fuscae vel virides et foetidae sunt. In Hydrocephalo è contra, dolor capitis constans et vomitu auctus, intolerantia lucis sonique et alvus pertinaciter astricta morbum satis denotant.

In vermibus, appetitus varius nunc pene nullus nunc voracissimus, alvus soluta aut per breve tantum tempus astricta, spiritus foetor et praesertim vermium in dejectionibus praesentia morbum ab Hydrocephalo abunde distinguunt.

Inspectio oris, gingivae tumidae, oris calor, ptyalismus, plerumque diarrhoea, et omnium symptomatum graviorum, gingivis incisis, levatio; dentitionem inter et Hydrocephalum diagnosin satis certam statuunt.

Marasmo laborantium abdomen tumidum, marcor, diarrhoea, dejectiones virides, absentia signorum affectionis capitis gravis, et aliquando glandulae mesentericae per abdominis parietes exploratae et tumidae duraeque inventae nullum de morbo dubium linquunt.

PROGNOSIS.

Ex omnibus quae jam dicta sunt, ut mihi videtur, satis liquet, prognosin nostram de hoc morbo semper infaustissimam esse debere; et quamvis perpauci narrantur casus in quibus curatio sine dubio effecta fuerit; tamen tam parum de circumstantiis in quibus talem exitum felicem sperare datur, scimus; ut semper cum maxima cautione, et potius infausta prognosis pronuncianda est. Nihilominus si in morbi initio, dolor capitis remediis cedit. Si vomitum temperare possumus, et si alvus copiose ducta levamen symptomatis urgentibus fert, prognosis fortasse non adeo sinistra duci potest. Infeliciter raro in manibus est, quibusvis remediis effectus tam optabiles producere.

METHODUS TRACTANDI.

Si, ut mihi videtur, causa morbi magis immediata in inflammatione cerebri tunicarumve ejus pendet, necessario sequitur, venaesectionem copiosam, quousque vires et aetas aegri ferant, inter remedia prima et efficacissisissima merito locum habere; melius erit, duco, sanguinem ex loco proximo morbi sedi, vel ope hirudinum plurium temporibus applicatorum, vel mediante arteriae temporalis sectione mittere, et dolor capitis immanis applicationem hirudinum iteratam saepe postulat; capillis abrasis frequens capitis aqua frigida lavatio, aut glacies linteola obvoluta et summo capiti accommodata aut frigus aetheris sulphurici evaporatione a capite inductum etiam conducunt, emplastrum vesicatorium nuchae nonnunquam cum venaesectione prospere cedit, eodem tempore alvi ductio plena et frequens ut vel diarrhoea excitetur, remediis aliis multum auxi-

liatur, doses iteratae submuriatis hydrargyri et jalapae, ad hunc effectum producendum praesertim in usu sunt. Hoc modo sub initium morbum in incunabulis nonnunquam comprimere possumus.

Multa sunt medicamenta quae nobis commendantur cum signa effusionis se manisfestent. Emetica nonnullis prae omnibus placent. Hydragyrus et digitalis suos patronos habent, et haec quidem ab initio a quibusdam usurpantur, de his pauca addere non gravabor.

Emetica tali dosi exhibita ut vomitionem plenam producant in quovis morbi stadio mihi non innoxiae apparent, nam actione vomendi sanguine ad caput determinato, vel in recursu ejus a capite impedito, ut rubicundus et aliquando lividus faciei color abunde testant, verendum est ne vasa capitis impulsui novae imparia fiant, jamdudum sanguinis onere laborantia et vel rumpantur vel ita debilitantur ut cerebrum effusione sanguinis inundent. In initio nihilominus nauseam ope tartratis antimonii excitare, de-

primendo et vires et frequentiam pulsus, et hoc modo sanguinis impetum caput versus minuendo nonnunquam fortasse ex usu erit, ventriculus vero in hoc morbo fere semper adeo irritabilis est ut non raro negotium nullomodo minimum nobis est vomitionem fere continuam reprimere, et saepe, si non dicerem saepissime, artem nostram superat.

Hydrargyrus sub forma calomelanos in quantitate exigua saepe repetita et eodem tempore frictio cum unguento hydrargyri frequens ut quamprimum suos effectus proprios in corpus edat a multis multum laudatur quasi specificus, difficilimum nihilominus quidem est dicere, quamvis in nonullis casibus sub usum hydrargyri morbus cedere visus est, an curatio effectibus hydrargyi peculiaribus juste attribui debeat, vel fluxui alvi libero calomelanis actione effecto. Et an non iidem exitus usum alicujus aliûs medicamenti aeque alvum solventis sequerentur. In casu uno in quo hydrargyrum manu libera exhibitum vidi, in initio certe sublevationem aliquam morbi afferre visus

est, ex tempore vero quo gingivae et os eo afficiebantur, morbus gradu celere ad terminationem fatalem festinavit. Scio equidem ex hoc casu fortasse isolato nihil adversus hydrargyri usum in hoc morbo duci, praesertim cum multi alii ab auctoribus fidem maximam merentibus narrentur in quibus eventus prosperi hujus remedii utilitatem comprobârunt. Post alia igitur remedia, venaesectionem nimirum generalem vel partialem prout res postulent aut admittant, catharsin et alia ante memorata; ubi morbus nobis tempus dat hujus remedii effectus experiri, certe eo uti nihil morerer.

Hydrargyri submurias in conjunctione cum pulvere antimoniali a quibusdam nobis commendatur, de usu hydrargyri in hac forma, nihil quod dicam habeo.

Alterum remedium nobis a nonnullis magnificatum ab aliis aequae exprobratum ut nullius neque in hoc neque in aliquo alio morbo utilitatis, est digitalis purpurea, quoad hoc medicamentum, nihil certum asseverare possum, saepe per longum tempus

usurpatur sine aliquo effectu visibili, est etiam ubi cito et pulsum et cordis actionem minuit, morbus tamen cursum immutandum tenet. Fortasse nonnunquam cum hydrargyro conjuncta spes majores eventus optabilis dabit. Periculum de ea facere non multum nocebit. Nam ut mihi videtur nulli alii morbo adagium, *dubium remedium experiri quam nullum* tam apte accomodari potest.

Ut hic morbus, quibuscunque remediis utamur, postquam primum sese plane ostenderit, perraro curationem admittit, summa ope ad prophylaxin nitendum est. In familiae infantibus huic morbo praedispositionem habentis et praesertim si ex iis aliquis hoc morbo vitâ discesserit; summa cura, in omni irritatione sive a dentitione vel obstipatione aut alia causa proveniente, sedulo evitanda, adhibenda est. Prodest caput semper frigidiusculum tenere, et lavatio totius capitis aqua frigida mane et vespere non parum conducit. Alvus semper facilis esto, et si quando sanguinis ad

caput determinatio formidetur, detractio ope hirudinum unciarum paucarum sanguinis ex temporibus, vel fontanella in cervice occipitium versus facta insultum impendentem aliquando praecaveat. Diaeta levis et concoctu facilis esse debet et fere ante omnia aër purus et liber.

CADAVERIS SECTIO.

Multi et diversi sunt status in quibus et cerebrum et tunicae ejus inveniuntur, sectis cadaveribus horum qui ab Hydrocephalo mortui sunt. Dura mater vasis innumeris referta et rubra, et venae piae matris sanguine turgidae inter phaenomena magis communia locum habent. Nonnunquam lymphae coagulatae inter tunicas, maculis distinctis depositio est. Tumores magnitudinis diversae, nunc molles nunc duriores vel tunicis adhaerentes vel in substantia cerebri sitae apparent. Massa cerebri aliquando ita mollis est ut scalpellam investigatoris

ferre nequit. Ventriculi omnes liquore nunc limpido nunc opaco implentur, et plerumque in basi cranii quantitas humoris, ei in ventriculis contento similis, magna conspici potest: hydatides in exemplis quibusdam plexui choroideo adhaerent, et plexûs ipsius vasa magnitudine aucta et nonnunquam materie gelatinosa circumdata sunt. Ad summum natura ita varie ludit, ut longius a proposito hujus tentaminis ducerer si omnes varietates morbidas enumerare conarer.

Ad finem nunc opusculum hoc perduxi et sane confitendum est nec etiam a me ipso celare possum quod multa in eo desideranda remanent, multa fortasse delenda; sed tentamen meum in hac specie scribendi, primum est. Et spero almam Academiam, mendas (ut haud paucae sint vereor,) inexperientiae meae potius quam industriae aut voluntatis legibus ejus obeundi defectui acceptas relaturam.

FINIS.